

Id in quoque solidissimum est, quod exercuit. Ad contem-  
 nendam malorum potentiam animus patientia pervenit: quae  
 quid in nobis efficere possit, scies, si adspexeris, quantum  
 nationibus nudis et inopia fortioribus labor praestet. Omnes  
 considera gentes, in quibus Romana pax desinit: Germanos  
 dico, et quidquid circa Istrum vagarum gentium occursat.  
 Perpetua illos hiems, triste coelum premit, maligne solum  
 sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, super  
 durata glacie stagna persultant, in alimentum feras captant.  
 Miseri tibi videntur? nihil miserum est, quod in naturam  
 consuetudo perduxit; paulatim enim voluptati sunt, quae  
 necessitate coeperunt. Nulla illis domicilia, nullae sedes  
 sunt, nisi quas lassitudo in diem posuit; vilis, et hic  
 querendus manu victus; horrenda iniquitas coeli, intacta  
 corpora: hoc quod tibi calamitas videtur, tot gentium vita est.  
 Quid miraris bonos viros, ut confirmentur, concuti? Non est  
 arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus  
 incurSAT: ipsa enim vexatione constringitur, et radices  
 certius figit. Fragiles sunt, quae in aprica valle creverunt.  
 Pro ipsis ergo bonis viris est, ut esse interriti possint,  
 multum inter formidolosa versari, et aequo animo ferre  
 quae non sunt mala, nisi male sustinenti.

V. Adjice nunc, quod pro omnibus est, optimum  
 quemque, ut ita dicam, militare, et edere operas. Hoc est  
 propositum Deo, quod sapienti viro, ostendere, haec quae  
 vulgus appetit, quae reformidat, nec bona esse nec mala:  
 apparebunt autem bona esse, si illa non nisi bonis viris  
 tribuerit; et mala esse, si malis tantum irrogaverit. Detes-  
 tabilis erit caecitas, si nemo oculos perdidit, nisi cui  
 eruendi sunt. Itaque careant luce Appius et Metellus. Non  
 sunt divitiae bonum. Itaque habeat illas et Ellius leno: ut  
 homines pecuniam cum in templis consecraverint, videant et  
 in fornice. Nullo modo magis potest Deus concupita traducere,  
 quam si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit. «At